



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De fiducia quam habere debet anima in Domino Iesu atque ejus passione,  
14

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)



mali potuit invenire. Per ipsum me iustifica, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Per ipsum caput nostrum, in quo nulla est macula, libera me membrum ejus, licet exiguum & infirmum. Libera, quæso, me à peccatis, vitiis, culpis & negligentis meis. Reple me tuis sanctis virtutibus, & fac me bonis pollere moribus. Fac me in sanctis operibus propter nomen sanctum tuum perseverare usque in finem, secundum tuam voluntatem.

## CAPUT XIV.

*De fiducia, quam habere debet anima in Domino Iesu, atque ejus passione.*

1. **D**esperare utique potuissem propter nimia peccata mea, infinitas negligentias meas, nisi Verbum tuum Deus caro fieret, & habitaret in nobis. Sed desperare jam non audeo; quia cum inimici essemus, reconciliati sumus per mortem filii tui, quanto magis reconciliati salvi facti sumus per eum? Omnis namque spes & totius fiducia certitudo mihi est in precioso sanguine ejus, qui effusus est propter nos, & propter salutem nostram. In ipso respiro, & in ipso confisus ad te pervenire desidero; non habens meam justitiam, sed eam quæ est ex filio tuo Domino nostro Iesu Christo. Unde gratias agimus tibi, clementissime & benignissime amator hominum Deus, qui per Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum, cum non essemus, potenter fecisti nos: & cum perditii fuissetus culpa  
nostra,



nostra, mirabiliter liberaſti & recuperaſti nos.

2. Gratias ago pietati tuæ, & multas tibi laudes refero ex totis præcordiis meis, qui propter tuam inenarrabilem dilectionem, qua nos miſeros & indignos mirabili bonitate amare dignatus es, miſiſti eundem unigenitum tuum de ſinu tuo ad publicum proficuum noſtrum, ſalvare nos peccatores, tunc filios perditionis. Gratias ago tibi pro ſancta incarnatione & nativitate ejus, & glorioſa genitrice ſua, de qua ipſe carnem aſſumere dignatus eſt propter nos, & propter noſtram ſalutem; ut ſicut Deus verus de Deo, ita verus homo ex homine eſſet. Gratias tibi ago pro paſſione & cruce ejus, pro morte & reſurrectione ejus, pro aſcenſione ejus in cœlum, & ſede Majestatis ejus ad dexteram tuam. Ipſe enim quadrageſimo die, poſt reſurrectionem ſuam, aſcendens videntibus diſcipulis ſuper omnes cœlos, ſedensque ad dexteram tuam, Spiritum ſanctum ſecundum promiſſionem ſuam in filios adoptionis effudit.

3. Gratias tibi ago pro ſacraſſima illa effuſione pretioſi ſanguinis ejus, quo ſumus redempti; ſimul & pro ſacroſancto & vivifico myſterio corporis & ſanguinis ejus, quo quotidie in Eccleſia tua paſcimur, & potamur, abluimur & ſanctificamur, & unius ſummæ divinitatis participes efficiamur. Gratias tibi ago pro tua mira & inenarrabili charitate, qua nos indignos ſic amaſti, & ſalvaſti, per unicum & dilectum filium tuum.

Sic



Sic enim dilexisti mundum, ut unigenitum tuum dares: ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Hac est autem vita æterna, ut cognoscamus te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum, per fidem rectam, & condigna fidei opera.

## CAPVT XV.

*De immensa charitate Patris æterni ad genus humanum.*

I. **O** Immensa pietas, ô inestimabilis charitas! ut liberares servum, filium tradidisti. Deus factus est homo, ut perditus homo, de potestate dæmonum erueretur. Quam benignissimus amator hominum, filius tuus Deus noster, cuius piis visceribus non satis visum est, ut se inclinaret factus homo de Virgine Maria, nisi etiam subiret crucis supplicium effuso sanguine propter nos, & propter nostram salutem. Venit pius Deus, venit pro pietate & bonitate sua, venit quærere & saluum facere, quod perierat. Quæsivit ovem perditam, quæsivit & invenit, & humeris suis reportavit ad caulas gregis pius Dominus, & vere multum pius Pastor.

2. O charitas, ô pietas! Quis audivit talia? Quis super tanta misericordix viscera non obstupescat? Quis non miretur? Quis non collatetur propter nimiam charitatem tuam, qua nos dilexisti? Misisti filium tuum in similitudinem carnis peccati; ut de peccato damnaret peccatum, ut nos efficeremur iustitia

tia